ONOMASTERIA IOHANNEA,

ILLVSTRI DOMINO

IOHANNI
ERNESTO SCHMIEDEN,

FLORENTISSIMÆ REIPVBLICÆ GEDANENSIS PRÆCONSVLI INSIGNITER MERITO, PVBLICO MVSARVM PRÆSIDI, LITERARIÆ GLORIÆ STATORI, MÆCENATI OPTIMO, MAXIMO, DOMINO ET PATRONO SVO, OMNI CVLTV VENERANDO:

EIVSQVE GENERO NOBILISS.

VIRO SVMMO

IOHANNI
GODOFREDO A DIESSELDORF,

I. V. Dri CÆSAREI PALATII COMITI, CONCILII PERPETVI IN ACADEMIA LIPSIENSI OLIM ASSESSORI; NVNC IN PATRIA VRBE IVRIS ET HISTORIARVM PROF. PVB. ATQVE ATHENÆI GEDANENSIS INSPECTORI VIGILANTISSIMO, FAVTORI SVO MAGNO, AMICO OPTIMO:

IN VICEM EPITHALAMII,

SVB IPSIS DIVI IOHANNIS VIGILIIS,

ANNO M DC IC.

SVBMISSA PIETATE ET OFFICIOSA MENTE,

GRATVLABVNDVS EXHIBVIT

PAVLVS PATER, MATHEM. PROF.

THORVNII,

E TYPOGRAPHEO GYMNASII.

C. PLIN. CÆCIL. SEC. LIB. I. EPIST. XI.

Socer Pompeius Iulianus, cum cætera vita, tum vel hoc uno magnus & clarus, qvod ipse Provinciæ Princeps, inter altissimas conditiones, Generum non honoribus Principem, sed sapientia elegit; huic nullus horror in vultu, nulla tristitia, multum severitatis: reverearis occursum, non reformides: vitæ sanctitas summa, comitas par: insectatur vitia, non homines, nec castigat errantes, sed emendat: seqvaris monentem attentus & pendens, & persvadere tibi, etiam cum persvaserit cupias.

AVdivit tandem DEVS immortalis vota noſtra, luctus domeſticus conſenuit, & ſenectutis damna novo beneficio compenſata ſunt. Fauſta ac proſpera ſeqvuntur lamenta & planctus, ob exitum filiorum bigæ, cui nunc demum mutui affectus, tot Epiſtolis probati, publicum decernere conor monumentum, dum ad inſtantiam Bibliopolæ, amicorum qvidam Epigrammata & Elogia noſtra, ſparſim edita, in unum reqvirit publicareq; geſtit. Nimirum, reſtabat ex theſauro Gentilis boni Virgo caſtimonia animi & elegantia morũ inſignis; huic dum nuptiales tædas accendis, qvotqvot literas colunt, aut ſapientiam ſponſi norunt, fauſtitates omnes apprecantur lætosq; Hymenæos dicunt. Audet etiam infelicitas noſtra qvalecunq; hoc obſeqvii & cultus ſui tributum ſolvere, & ob hanc feſtivitatem nuptialem, & redeuntem ſimul Onomaſteriorum ſolennitatem, obſervantiſſime gratulari. Serus qvidem, ne dicam vanus hic videri poſſet conatus, de re feliciter peracta ominari proſpere, & qvos graviſſima merita ſupra laudem evexerunt, leviter curſimq; attingere. Qvis enim GENTIS SCHMIEDENÆ decora, tot ſanctiſſima graviſſimaq; nomina, qvæ humanum genus emendarunt, divorumqve numerum auxerunt, vel mente concipere, nedum eloqvi digne poteſt? Magnum eſt, Avos triumphales & togatos Heroes, qvi ſupremum in Republica Magiſtratum geſſerunt, longa ſerie enumerare poſſe: maius Nobilitatem & Poloniæ *Indigenatum* ab antiqviſſimis maioribus accepiſſe: ſed longe maximum ab ipſo Sarmatiæ Imperatore fidelis Amici rectiq; Adiutoris titulo ornatum fuiſſe! Qvanti enim Sereniſſimus Rex noſter, homagii ſacramentum ab Vrbe veſtra recepturus, ſenilem gravitatem, plenaq; divi-

nitate alloqvia in Te Senatus Præside æstimaverit, fama pridem duraturis æternum monumentis inscripsit. Qvin & inter grandia Regiæ gratiæ documenta Proregalis, seu Burggravialis illa, ut ita loqvar Purpura, qvam summa cum sanctitate iustitiaq; gessisti, numerari meretur. Aucta in immensum nominis tui claritudo, difficillimis nuper Interregni temporibus, dum ad Concilium Procerum Mariæburgi Moderator allegabaris. In discrimen illic ardua tractatione vocabantur Reipublicæ patriæ iura, immunitates & privilegia: videre erat distractos populorum animos & inflexibilem obstinationem audaciamqve in viros ipsis Gentibus sanctos atq; inviolabiles. Hic, qva constantia & grandibus ausis dissidentes consilio retuderis: qva prudentia Reipublicæ navem, in tanta tempestatum ac fluctuum licentia servaveris, allocutionis huius ambitus non capit, iusti commentarii res est, & peculiarem sibi scribentis deposcit industriam. Pro his ingentibus meritis, qvas statuas, aut qvæ ornamenta posteritas Tibi eriget aut decernet? Multa hic commemoranda mihi forent de legibus terrarum Prussiæ, de Institutis Reipublicæ Polonæ, qvæ in numerato habes omnia: multa de Iurisprudentia in dirimendis fori litibus; sed cum sphæram nostram transcendere videantur, scholasticus tantum ego, ad res inermes innoxiasqve, literarum nempe studium bonasq; artes redeundum censeo. Latissima & hic nobis pateret ditio, nisi a viris toto Orbe divisis pridem occupata foret. Fulgidum iam ante hos qvinqvaginta annos eruditis lumen accendisti, tractatu DE ANNO IVBILÆO, cuius ipse Romæ spectator exstitisti, in publicum usum & laudem, procul superstitione edito. Qvanta inibi humanitas & facundia! Qvam exqvisita maximeq; necessaria historiarum & præsentis status cognitio! Adhæc, qvicqvid in veterum Inscriptionibus rarum & egregium, in Italia, tanqvam pro-

prio

prio domicilio, & deinceps ita cognitum perſpectumqve Tibi reddidiſti, ut Latium priſcum redonare nobis, aut maieſtatem eloqventiæ Romanæ in hac Pruſſia ſiſtere velle videaris. Poſſem commemorare, qva ratione aliqvando, cum hoſpitem me ſumma benevolentia accepiſſes, inter cætera corruptæ Inſtitutionis ſcholaſticæ, barbaram & ſordidam Latinitatem, qvæ pleroſq; occupavit, ſummopere deteſtatus fueris; ſed qvando in Ephemeridibus meis, de hoc ſermonis genere dicere iam inſtitui, prudens hic mihi tempero. Nunqvam memori animo excident, qvæ Sereniſſimi Principes in Bibliotheca Brunſvico-Luneburgenſi, qvæ Wolſenbyti eſt, de Elogiis tuis in hanc fere ſententiam inter ſe dictitarunt: *Profecto eruditus eſt SCHMIEDENVS CONSVL!* Cui mox alter potentiſſimorum Heroum, qvo ſapientiorem Europa non vidit, regesſit: *immo eruditiſſimus, & in eloqventia veteri ac nova plane divinus & incomparabilis!* Tanti ergo doctrinæ tuæ teſtes ac iudices publici cum falli non poſſint, qvis iam privatorum ſapientiam tuam non colet & ſuſpiciet? Qvis *Cenotaphia* & *Poemata* tua legens, aut profluentem verborum vim auribus uſurpans, Te magnum literarum Parentem non iudicabit? Occurrunt in annis diſciplinarum & peregrinationum non pauca admiratione digniſſima: nam qvascunq; Gentes adiiſti, has non ignavas laudum tuarum præcones nactus es. Multi audito tantum SCHMIEDENI nomine, videre & alloqvi Te, officiaq; ſua conteſtari præoptabant. Non vocabo in partes Anglos, Belgas, Italos, viros abſolutiſſimos, ſed illuſtrem BVLLIALDVM, Francorum Regis intimum, non contentum crebris literis deſiderium tui lenire, ex remotiſſimo terrarum tractu, ad Te iuxta ac HEVELIVM tuum viſendos, veſtra gloria commotus, Gedanum excurriſſe nominare ſufficiat. De mutuis Epiſtolarum libellis, eorumqve ſenſu recondito, verbis

qvæ-

qvæſitis & excultis, ſilere præſtat, ne ab aſſentatione obſeqvium auſpicari videar, poſtqvam obſcurum & prophanum me qvoq; ſacra manu tua ſubinde honeſtare, hæſitantiq; ſalutaria monita ſuggerere dignatus ſis. Rarum hoc a Viro in tanto culmine conſtituto, & tot publicis curis diſtracto! Et ego qvidem felicem beatumqve me prædico, qvod tot ingenii tui decora & interioris literaturæ monumenta poſſideam; qvod ſi tamen publicis precibus exorari Te permitteres, ut Epiſtolæ & Allocutiones, qvas in Senatu, Comitiis & Legationibus ad Electores Principes gravis Orator habuiſti, publici iuris fierent, benevolentiam iſtam, cum Orbe Sarmatico, univerſa Patria Regiis muneribus exæqvaret, omnibusq; Barbarorum triumphis anteponeret. Sed de his ſimilibusqve laudis tuæ operibus, qvibus Græciam ipſam Tibi obſtrinxiſti: deq; meritis in omni genere maximis, qvæ neq; Pruſſia capit, neq; Balthicus ſinus circumſcribit, alibi plura. Hinc merito fortunatam prædicamus Rempublicam, qvæ tantum poſſidet Heroa, utq; eiusmodi Atlantibus fulciatur ſemper, toto pectore precamur! Felix Curia & Muſarum ſedes, in qvibus conſiliorũ ſublimitate & literarum gloria decertas! Omnes artes & ſcientiæ a Te patrocinium petunt: diſputantes pro Athenæi Cathedra, qvoties gratioſa præſentia beas, & illam qvaſi dulciſſimam ætatem reſumis, tanqvam ad Oraculum ad Te provocant. Memini probe, ab ipſis artis Doctoribus me accepiſſe, nullum unqvam argumentum incidiſſe, de qvo non cum peritiſſimis expedite diſſerueris, nihil felicitatem tuam morante, aut diſciplinarum varietate, aut materiarũ difficultate. O Te deniqve felicem, DIESSELDORFI EXCELLENTISSIME, qvem talis tantusq; Socer Generum ſibi adſcivit! Nominis rerumq; fama, florentibus admodum annis, primas in ſcena partes Tibi iure meritoqve vendicavit, & ſapientiæ domicilio Inſpectorem præfecit.

Iuve-

Iuvenilis ingenii theatrum GYMNASIVM hoc THORVNENSE Tibi delegeras, ubi posteaqvam mitiores literas & Polonici sermonis gravitatem egregie expendisses, digressus ad Academias, iura interpretandi peritiam ita feliciter imbibisti, ut suffragia amplissimi Iurisconsultorum Ordinis, in alma Lipsiensi, supremos in eo honorum titulos Tibi adiunxerint. Ne vero laus tua Germaniæ modo finibus comprehenderetur, plerisq; Europæ regionibus nominis tui celebritatem intulisti, nitidissima & sapientiæ & commerciorum emporia lustrando. Difficile dictu, qvanta Te cura terrarum cultissima complexa fuerit, aut qvam inviti Te dimiserint & Martis & Musarum alumni fortissimi Batavi. Redux in Germaniam, eruditionis & virtutis tuæ iubare, aulam Vindobonensem adeo in Te convertisti, ut illustris PALATINI COMITIS dignitas, ab ipso AVGVSTO Romani Imperii delata Tibi fuerit. Nondum confectis itinerum spatiis, cum patrii Athenæi Directores secum deliberarent, cuinam Historiarum & Iuris professio, qvæ tum vacabat, dextre committenda foret, nutu providentiaq; divina effectum est, ad docendi hanc provinciam, Te evocarēt. Qvo pacto industriam hic tuam, qva legendo, qva disputando probaveris, pulpita testes & iudices appello. Plurimum qvoq; Tibi debet Poetica dicendi facultas, ut qvæ nuper in laudatione Regis nostri, non svavis modo, sed plane admirabilis omnibus visa est, HOFMANSVALDIANÆ æqvalis & suppar. Dum ergo indies famam tuam sic auges & nobilitas, ac Temet ipsum in oculos emendatissimæ SCHMIEDENIÆ infundis, DEI dono ac munere evenit, ut auspicato omine in thalamos tuos transierit. De hoc igitur cœli bono, qvo nihil ad familiæ tuæ gloriam curarumqve lenimentum, vel voto fingi potuisset meliius, cum Vrbe vestra, & noster Tibi plaudit Helicon. Ego virtutum SCHMIEDENODIES-

DIESSELDORFIANARVM admirator perpetuus, gratulor inſtituto tuo, gratulor per hoc connubium æternitatem Tibi obtigiſſe, qvam Vrania ipſa polliceri videtur. Age modo, VIR CELEBERRIME, qvemadmodum ſtudio & induſtria in literis præclara præmia obtinuiſti: pari ſolertia & aſſiduitate, ex caſto præſtantiq; ADELGVNDÆ corpore Gentis tuæ fructum quoqve conſeqvaris! Euge, ex pretioſiſſimo SCHMIEDENI auro, pulchra amorum Tibi cudito numiſmata, ipſius Apollinis, aut Muſarum imaginem qvaſi ſpirantia! Fac miſſa nunc populorũ geſta, iurisq; controverſias; ADELGVNDA tua Tibi Hiſtoriarũ compendium & nobile Pandectarum opus: ſuus ſibi uterqve in amoris Athenæo Inſpector & Cupido Argus. Macte hac Nympha Pruſſiæ, non amandi impetu, ſed ſubacto iudicio delecta. Vivite felices, & avitam gloriam in liberos nepotesqve propagate & diffundite! Lætare Tu qvoqve, DIVINE MÆCENAS, cui grande ſenectutis fulcrum, in tot animi corporisqve dotibus ornato Genero acceſſit. Servet Te DEVS, & Vrbis & Muſarum bono, ut porro fortunam ſuam Tibi commendent, qvicunqve literas colunt! Servet cum nupta Filia arctiſſimo fœdere Tibi iunctum: ut eius ſub auſpicio literarum Studioſi veram ſolidamqve eruditionem conſeqvantur! Hoc mecum omnes augurantur, hoc cupiunt, hoc votis ſuſceptis a ſupremo Numine contendunt, certoqve fore non modo ſperant, ſed ita plane confidunt: VT COMMVNIS, HÆC VOBIS ONOMASTERIORVM SOLENNITAS OMNI TEMPORE FELICISSIME REDEAT: ÆTERNAQVE LAVDE FLORENTES VIRTVTIS VESTRÆ GLORIAM, ET INCOLVMES, ET LÆTI ALIIS SVPRA ALIA OPERIBVS AVGEATIS!